

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

LXXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

LXXXV.

FRIDERICI II. IMP. LITERAE DE COMITE EGENONE
AB URACH IN GRATIAM SUAM RECEPTO.


A N N O M C C X I X.

Ex autographo Bada-Duriacensi.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex Semper Augustus & Rex Siciliae. Universis civitatibus suis & earum scultetis tam presentibus quam futuris gratiam suam & omne bonum. Significamus vobis quod nos dilectum confanguineum nostrum *Comitem Egenonem de Urach* remisso penitus omni rancore, quem erga eum habuimus in plenitudinem familiaris & sincere gratie nostrae recepimus ac deinceps de augmento ipsius & honore solliciti esse volumus cum effectu. ut autem gratie nostrae & dilectionis habundantiam eidem comiti manifestius constare faciamus benignitate regia & cum bona voluntate nostra restituimus sibi & ministerialibus suis omnes honores eorum cujuscunque conditionis pauperes sive divites qui postquam inter nos & ipsum bellum incepit de civitate sua Friburch ut de aliis locis sibi pertinentibus ad civitates nostras ut ad loca nostra ad habitandum transmigraverunt. Preterea pepigimus cum iam dicto comite, & firmiter ei permisimus obseruandum, quod nunquam de cetero aliquem de hominibus suis in ciuitatibus nostris aut in aliis locis nobis pertinentibus recipiemus. Si forte in illis recepti fuerint quam primum id nobis constiterit ipsos homines ei liberos restitui faciemus. Quocirca vobis mandamus per gratiam nostram distincte precipientes quatenus sepefato Comiti homines suosque sicut

permissum est ad vos se transtulerunt omni occasione cessante restituitis & eos a confortio vestro removeatis. nec omni modo de hominibus suis aliquem recipiatis. Vt igitur omnia hec perpetua gaudeant stabilitate. presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostro iussimus insigniri.

Datum apud Hagnowe Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo. Octavo Idus Septembr. Indictione octava.



LXXXVI.

INSTRUMENTUM RECONCILIATIONIS INTER FRIDERICUM II. IMP. ET EGENONEM COM. DE URACH.

A N N O M C C X I X.

Ex autographo Bada-Durlacensi.

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Sicilie. Ne processu temporum ab hominum memoria elabantur que inter eos aliquando contrahuntur Regia decrevit serenitas. ea litteris publicis commendaremus. Quapropter ad universonum tam presentium quam futurorum notitiam volumus pervenire quod nos attendentes grata servitia que dilectus consanguineus noster Comes Egno de Urach nobis jam dudum exhibuit. & poterit in posterum exhibere. ad removendum inter nos & ipsum omnem dissensionis scrupulum, in rectam sibi donamus & largimur proprietatem totam par-